



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

De statu devotionis sensibilis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

De statu devotionis sensibilis.

HÆc est altera via, quam anima in oratione experitur, circa quam dicemus: 1. quid sit devotio in genere. 2. quid in particulari sit devotio sensibilis. 3. unde illa proveniat. 4. assignabimus certissimas notas, ex quibus bonæ consolationes à malis queant discerni. 5. Exponemus qua ratione illas recipere debeamus, quæ procedunt à Deo. 6. monita quæ observare quis debet, ut ne decipiatur.

Quid sit Devotio in genere.

Devotio nihil est aliud, quàm voluntas prompta ac resoluta ad faciendum quidquid attinet ad servitium Dei. Hæc autem devotio seu voluntatis promptitudo potest in anima esse absque voluptate aut oblectatione sensibili: quin potius non paucos reperire est, qui exercitiis spiritualibus vacant magnâ cum repugnantia partis inferioris, qui tamen revera devoti sunt, & quidem solidissimâ devotione, quia in hac sua repugnantia magnâ cum generositate eadem faciunt, quæ agerent, si sensibilem in ea haberent propensionem. Verùm Deus, cujus spiritus suavitate plenus est, animabus quandoque aliquem gustum dulcedinis suæ indulgere solet, ut quasi hic in terris ea, quæ aliquando æternùm in gloria possessione sunt, prægustent. „ Oratio verò, ait „ S. Theresia, est porta, quâ gratiæ omnes
 quas

Hac sententia S. Theresia